





DISSERTATIO IURIDICA  
DE

1747, 27

16

**ATTENTATIS**  
**MANDATVM ATTEN-**  
**TATORVM REVOCATO-**  
**RIVM EXCLVDENTIBVS**  
**ET NON EXCLVDENTIBVS.**

---

QVAM  
AVCTORITATE ET DECRETO  
*ILLVSTR. ICTORVM ORDINIS*  
**IN ALMA LVDOVICIANA**

AD D. AVG. clō 10cc xxxvii.

H. L. Q. C.

*PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS*  
*RITE OBTINENDIS*

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

**IO. DAVID GROS,**

WFTZLAR.

---

GISSAE, TYPIS EB. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.



7

DE  
ATTENTATIS  
MANDATVM ATTEN  
TATORVM REVOCATO  
RVM EXCIDENTIBVS  
ET NON EXCIDENTIBVS

AVCTORITATE ET DECRETO  
ILLVSTR. IERONVM ORDINIS  
IN ALMA LVDVICIANA

AD D. AVGVST. JOH. SEBAST.  
H. I. C.  
P. R. O. S. U. A. M. P. A. R. T. I. S. V. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. S.  
P. A. B. L. I. C. O. E. X. A. M. I. N. I. S.

IO. DAVID GROS.

PROF. P. B. H. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.





§. I.

**I**udicis a quo vltior cognoscendi facultas, interpo-  
sita adpellatione, vel ad Cameram Imperialem, vel  
ad quodcumque iudicium superius, suspenditur. Ad  
id nos perducit *L. s. C. de Offic. Rector. prou. quae ces-  
sare dicit iudicis inferioris Iurisdictionem ob superuenien-  
tem superioris.*

§. II.

Interposita nunc adpellatione, & obseruatis for-  
malibus, Litterae eduntur inhibitoriales, quibus iudex  
superior ex potestate, quam alii superioritatis dicunt,  
inferiori interdicit, ne sententiam grauatoriam, a qua  
legitime est adpellatum, exsequatur, insuperque prohi-  
bens, ne quidpiam pendente adpellatione suscipiatur.  
Iudex autem non inhibebit, nisi sibi constiterit fuisse ad-  
pella-

A 2



pellatum, causamque per adpellationem ad se totaliter  
delatam, LANCELLOT, *de attent. P. II. cap. 20. Praef.*  
*Q. IV. n. 120.*

## §. III.

Quidquid igitur contra eiusmodi inhibitionem a  
Iudice inferiore suscipitur, cognoscendo, mandando vel  
quid statuendo, iniustum est & attentatum. Ideoque etiam  
facili negotio a Iudice superiori ad supplicas partis pre-  
ces reuocatur. Haec quidem regula, adpellatione, in  
iudicio superiori pendente, nihil esse attentandum, cer-  
ta est & indubitata, certum quoque est adpellatione in-  
terposita iudici a quo manus esse ligatas, eius officium  
pro hac vice expirasse, interim tamen multas, haec  
regula patitur exceptiones. Vtrumque, regulam nimi-  
rum cum suis exceptionibus, adeoque totam materi-  
am attentatorum, & exinde descendens Mandatum at-  
tentatorum Reuocatorium in praesentiarum, in quan-  
tum nempe instituti ratio permittit, considerare animus  
michi est.

## §. IV.

Quia vero ad faciliorem rei intellectum facit, si  
definitio praemittatur, lubet cum primis in etymologi-

am

am nominis inquirere. *Attentatum* (eine Neuerung) adpellatione pendente scil. commissum, de quo hic tantummodo sermo est, *in praxi idem est, quam cum dicimus innouare.* BLVM. *Proc. Cam. Tit. 53. §. 10.* Cumque communis Doctorum schola his ambobus vocabulis eundem significatum & effectum attribuat, nostri instituti ratio non deposcit examinare, an re vera synonyma sint, sed superfedemus, bene perpendentes, *attentatum* deriuari a verbo *attentare*, & diuersimode in iure accipi, 1.) pro blando sermone quo pudicitia impetitur, quodque VLPIANVS dicit aduersus bonos mores *attentare* L. 15. ff. §. fin. de iniur. 2.) pro conatu quodam & enixu ad aliquem actum faciendum L. 5. C. de episcop. & cler. 3.) pro aggravare seu molestare veri habetur in L. 6. in pr. ff. de extraord. crim. 4.) pro eo, quod fit lite seu adpellatione pendente in contemptum Iudicis & praeiudicium partis, & ita accipitur in tot. tit. in elem. §. C. ut lite pendente &c. & de hoc ultimo significato vnice sumus solliciti. His praemissis sequentem in modum secundum nostram mentem *attentatum* definimus, quod sit, *omae id, ubi iudex inferior, seu pars adpellata facit quid in praeiudicium litis coram superiore iudice introductae* & ita *attentatum* definitum

A 3

legi.

legimus apud Perillastr. Dn. de LVDOLFF *in Iure Carn.*  
*p. 255.* nec non apud LANCELLOTVM *de attentatis in*  
*praef. Part. I. n. 20.* descriptum, *si omnia hominibus*

## §. V.

Quandoquidem iam ex posita definitione constat,  
 non solum Iudicem sed & partem aliquid in contemptum  
 Iudicis & praeiudicium adpellationis committere posse,  
 hinc paulo alius de utroque nobis erit inquirendum,  
 ita tamen, ut limites dissertationis huius inauguralis non  
 transgrediamur; nam si omnes casus, quibus pars vel  
 Iudex attentat, specificè adducere vellemus, in tracta-  
 tum attentatorum disputatio nostra facile cresceret,  
 quod dum ab aliis iam absolutum, rem actam agere  
 nolumus sed brevissimis dicimus, *Iudicem inferiorem*, at-  
 tentatum secundum vnanimem DD. opinionem com-  
 mittere, si post adpellationem interpositam, vel post-  
 quam ipsi fuit inhibita aliquid novi facit, videlicet  
 sententiam exsequutioni mandando, aut alio quocumque  
 etiam modo ulterius in causa procedendo MÈV. *P. III.*  
*D. 211. n. 2.* Pars autem *adpellata* attentat, si adpellan-  
 tis statum mutat, aut novi aliquid facit, quod ante li-  
 tem coeptam non erat v. g. si in loco contentioso fru-  
 ctus colligat, pensiones exigat, in quarum legitima &  
 quæta



quieta possessione antea non fuit. MEV. P. VI. D. 205.  
 & seqq. BLVM. Proc. Cam. Tit. 32. n. 109. § 53. n. 11.  
 In quantum vero tertius, ob rem inter alios actam GAIL-  
 LIVS Lib. I. O. 72. attententer, colligi potest ex MEVIO  
 P. IV. D. 241. n. 4. ubi videre est, illum regulariter atten-  
 tate non censeri. Contra hunc, ergo via iuris ordinaria &  
 non per modum mandati attentatorum reuocatorii est  
 procedendum C. 7. versic. in alium de appellat. in C. & MA-  
 RANT. P. VI. art. 2. n. 163. GAIL. Lib. I. O. 144. n. 9.  
 De parte appellante quidem hic etiam dicendum esset, sed  
 cum de eo vitv a tertio attentante, modo ius suum pro-  
 sequatur, non dicere possumus eum attentare; cum id  
 quod lege permittente vel licite fit, non adpellemus at-  
 tentatum arg. L. 4. C. ad Legem Iul. de adult. Iure etiam  
 suo vitens nemo faciat iniuriam L. 5. ff. de R. I. Dixi mo-  
 do, ius suum prosequatur vel defendat; nam si in prae-  
 iudicium adpellationis quid moliat, causa cadit, se-  
 que indignum facit beneficio adpellationis, eamque de-  
 seruisse censetur Cap. 42. X. de appellat. Et hoc iure ho-  
 die vitimur, vt hoc casu causa deserta ad iudicem a quo  
 remittatur, vel clarius eius potestas, quae adpellatione  
 interposita hactenus suspensa fuit, reuiuiscit ad eum ef-  
 fectum, vt sententiam exsequutioni mandare valeat. Eius-  
 cemodi

cemodi sententia in Iudicio superiori publicata defertoria sententia, vel si cum **MAGENHORSTIO** *O. 71.* loqui placet, *absolutio a citatione* dicitur, quamvis prima dictio communi Iudiciorum loquelae magis sit accommodata.

## §. VI.

Quod vero casus quandoque existere possit, ubi adpellans attentare valeat absque laesione & usurpatione beneficii adpellationis in confesso est, & prae aliis testis est **GAILIVS** *Lib. I. O. 145.* ita loquens: *Adpellans sciens, adpellatum suspectum esse de dilapidatione, attentare potest.* Cautius tamen putem, si hoc casu Iudicem adeat ab eo legale & debitum expectans auxilium,

## §. VII.

Haec de attentatis Iudicis & partis dixisse sufficient. Enimuero cum & adpellantis & tertii attentantis perpetrata attentata, propter iamiam denotatam diuersitatem processus, ad nostrum non pertineant scopum, satis actum esse iudicamus, si in progressu tantummodo de attentatis Iudicis a quo & partis adpellatae ac de illorum reuocatione sermonem faciamus.

## §. VIII.

Iudici a quo in praedictum adpellationis ad superiorem

periores deuolutae quidpiam innouare aut attentare  
 neuiquam permiffum esse audiuius. Haec thefis ab  
 omnibus DDbus & practicis diu decantata, certa est  
 & indubitata, sed cum hic effectus a Iuris dispositione  
 producatur *L. I. §. fin. ff. de SC. Turpill.* ad quid igitur  
 inhibitio? quis non cum *LVDOVICI in Proc. Civ. Cap.*  
*24. §. 26.* dicat, inhibitionem non esse de necessitate?  
 Verum enimvero quidquid sit, inhibitionem hominis  
 magis adpellantem sub potestate iudicis ad quem con-  
 stituere, quam nudam adpellationem, res ipsa docet,  
 est enim primo inhibitio praeceptum armatum, quod  
 quilibet reuerenter habere debet, si poenam euitare  
 velit, etiam in casu ubi subreptitium esset vel constaret  
 de non iure petentis, vide relationem in causa Landau  
 contra Löschken 14. apud KLOCK. n. 56. & 57. & inter  
 consilia eius verba energetica *Tom. II. conf. 4. n. 16. &*  
*17.* Secundo attentata post intimatam inhibitionem, si  
 notoria sint, vel in continenti probari possint, per viam  
 mandatorum extrajudicialiter reuocantur *Ord. Cameral.*  
*Part. III. tit. 31. §. So mit und x. 2. Recess. Imp. No-*  
*viss. §. Und wann gegen auëgelassene 53.* quod, inhibi-  
 tione non emissa nec insinuata, non nisi iudicialiter, prae-  
 uia imploratione in scriptis, idque non per viam Man-  
 datorum.

datorum, sed per sententiam fieri potest. Quamuis his non obstantibus inficias ire non possumus, iudicem si semel ab eo adpellatum, sua sponte absque omni inhibitione, in praecidium adpellationis tendente, desistere debere. Sed quid sit, uti hodie regulariter fit, iudex nec adpellationem nec inhibitionem, quid quod nec ipsa iura & aequitatem curans, sed priuato suo arbitrio & libidine peruersa ductus, ulterius procedat, cognoscat, attentet, qua ratione insana eiusmodi licentia committitur? certe non alia ratione, quam ut mediante Mandato attentatorum reuocatorio eiusmodi actus & facta reuocentur. Sed quaeris, quid sit Ergo Mandatum attentatorum reuocatorium? Respondemus, illud esse preceptum iudicis, quo, ad instantiam supplicantis, reo etiam inaudito, sub certa poenae comminatione iniungitur, ut causam instauratam, prout fuit tempore sententiae, latae reducat.

## IX.

Definitio haec cum nobis sit in aprico, nunc ulterius incumbit ad materiae pertractationem propius accedere, ubi nobis considerandum venit, quo ordine processus, an regulari vel an irregulari eorum reuocatio sit petenda. Irregularem seu summarium esse processum attentatorum, constat ex cap. 7. de adpellat. in. o. ut & ex

C. O. C.

C. O. C. P. III. tit. 37. §. penult. vbi verba: vor allen Dingen etc. legimus, quae sane ita sunt intelligenda, ut attentata sine longinquo processu strepitu & ante disceptationem causae principalis reuocentur. Nobis hic obstare videntur verba eiusdem textus: Und ditweil ordnen und sehen wir / daß hinfüro *caussa attentatorum* mit und neben der Hauptsache gehandelt und keine durch die andere verhindert oder aufgehalten werden solle. Verum enimvero, quod haec dispositio potius processum ipsum quam decisionem attentatorum respiciat, tradit GAIL, *Lib. I. O. 146. n. 9.* MYNS. *3. O. 33.* etiam obseruauit, quod si prius in causa principali quam attentatorum sit submissum, prius in causa attentatorum quam principali sit pronuntiandum. Qui plura de modo reuocandi attentata summario legere cupit, euoluat GAILIUM *Lib. I. O. 146. n. 6. & 7.* Vbi causam attentatorum adeo priuilegiatam esse notat, ut ea per Iudicem superiorem, parte adpellante etiam non petente, quatenus nimirum ex actis elucet & probata, ex officio statim reuocari possent, & Iudicis officium si imploreter, nihilominus summarie ac de simplici & plano, sine libelli oblatione vel litis contestatione sollempni, haec reuocari debere. C. O. C. P. III. tit. 37. §. 5. R. I. de an. 1570. §. 95. MEV. P. I. D. 152. Quotiescumque enim

enim aliquid Iudicis nobili officio explicandum, libello non opus est, sed ut de plano sit procedendum refert GAIL. *Lib. 3. O. cit. n. 5.* Cumque attentata adeo sint in iure odiosa, praeter alia illis adscripta privilegia hoc singulare tribuunt pari adpellanti, quod inuitus respondere, & in causa principali ulterius procedere non possit teneri, usque dum ipsi sit satisfactum de damno expensis & interesse KLOCK. *Rel. Cam. I. n. 6.* HILTROP. *Proc. Iud. P. IV. Tit. 9. n. 49.* De attentatorum notoritate modo constet, & illa semiplene probari possint. GYLMANN *rerum in Camera iudicatarum D. 39. n. 16. & 18.*

§. X.

Haecenus, & quae in primis de prohibitione legis sunt dicta, plane intelligenda de appellatione a sententia definitiva, a tali enim sententia si fuerit adpellatum, quia statim iurisdictionem Iudicis a quo suspendit, etiamsi postea adpellatio repudietur a Iudice superiori, *L. 3. C. de adpellat.* omne id, quod in praedictum illius est factum, venit reuocandum. Ab interlocutoria autem, a qua regulariter appellari nequit, si est adpellatum, attentata, priusquam de meritis adpellationis constet, an causa devoluta & a iurisdictione ordinaria

dinaria abstracta sit, non reuocantur, nisi litterae inhibitoriales emanatae & Iudici insinuatæ sint. HILTROP.  
de Process. P. IV. Tit. 9. n. 29. & 30.

## §. XI.

Finem huic capiti imponimus & postquam in lucem redeimus, quod attentata debeant reuocari per mandata attentatorum reuocatoria, transgredimur ad rem ipsam seu caput secundum, plenam pertractationem sistens. In quo nobis considerandum est, quando, & in quibus casibus Mandata attentatorum reuocatoria decernantur ac non decernantur. Ord. Cam., Rec. Imp. nouiss. & Rec. Vist. de an. 1713. tanquam Leges Imperii fundamentales sparsim quidem nobis suppeditant, quomodo materia attentatorum sit tractanda, illam vero secundum ordinem proponere & ob oculos ponere, quando nimirum attentata, Mandata attentatorum reuocatoria excludant & non excludant, seu eorundem decretionem admittant, finis huius nostrae dissertationis est.

## §. XII.

Hinc & antequam ulterius progredimur, nobis restat explicare, quid per vocabulum: *excludere* intelligatur. In omnes & singulos vero huius vocabuli signifi-

ficationes inquirere, eosque in longum & latum hic re-  
 censere, sane operae pretium non erit, dum lexica,  
 quemuis plenissime informatura, circa hoc vocabulum  
 euolui possunt. Satis denique sit dictum, si vocabuli hu-  
 ius aequiuocum sensum & quomodo in *L. 14. ff. de libe-  
 ris & posth.* pro non admissione ad hereditatem, & a-  
 pud CICERONEM *Lib. I. cap. XI.* pro reiectione ab ho-  
 noribus, e. g. a gubernaculis ciuitatum reperitur, de-  
 notauerimus. In sensu vero proprio accipitur pro exclu-  
 sione a legitimo modo reuocandi attentata, vor die Aus-  
 schliessung von der gewöhnlichen und sonst an *Pro-  
 uocations* Berichten gebräuchlichen Art und Ordnung  
 begangener Neuerungen *reuocationem* zu bitten. Haec-  
 que exclusio in Iudicio, omnium superiori *Camera Im-  
 periali*, hisce formalibus emanare solet:

Seynd die Adpellations- Prozesse erkannt/  
 das gebettene Mandatum attent. reuocat.  
 aber/ abgeschlagen etc.

Videatur Perillustr. de LVDOLFF in *Iure Camerali pag.  
 391.* Quamuis vero adpellatio effectum operetur suspen-  
 sium, vbi tamen attentata non sufficienter sint proba-  
 ta, hisce terminis denegatur Mandatum attent. reuocat.  
 Würde



Wärde Supplicant den punctum attentato-  
ram besser als geschehen erweisen/ soll in  
puncto des gebettenen Mandati attent. re-  
uocatorii ferner ergehen was rechtens ist  
c.

§. XIII.

Iurisprudentiam etiam oculo fugituo intuenti no-  
tissimum est, *appellationem*, siue sit *extraiudicialis* siue *iudicialis* operari vel effectum *suspensiuum* vel *deuolutiuum*.  
Priori casu suspenditur Iudicis a quo vltior cognoscenti  
di facultas & manus eius ligantur, ne quidpiam pen-  
dente adpellatione suscipiat vel sententiam a qua exe-  
quatur & causa potius maneat in eo statu prout fuit  
tempore interpositae adpellationis *L. 6. ff. de his qui no-  
vantur infamia. MEV. P. I. D. 3. n. 2. P. 8. D. 287. n. 1.*

Posteriori vero casu, causa quidem deuoluitur ad  
superiorem Iudicem ob iurisdictionis foundationem, &  
penes ipsum est causae principalis vltior cognitio  
*Cap. 28. §. praeterea X. de officio delegat.* Sed sententiae a  
qua exequutio non suspenditur, *CARPZOV. in Pro-  
cess. tit. 18. art. 6. n. 41. & seq.*

De Tertio adpellationis beneficio nimirum com-  
municatio i. e. vt alii quoque, qui non adpellant, gau-  
deant

deant beneficio adhaesionis, intra decendum, tanquam ad scopum nostrum obtinendum nihil contribuente & per consequens huc non pertinente, plura quam iam prolata sunt, proferre, non necesse ducimus, idcirco etiam de illo porro nihil adiicimus. Agit autem de illo remedio pluribus. *Cap. XXII. X. de adpellat.*

## §. XIV.

Adpellatio cum operetur effectum suspensiuum, ea vel sit tantummodo interposita vel iam iam recepta, medio tempore & tamdiu nihil est innouandum, nec in praedudicium adpellationis quidquam faciendum, quamdiu de adpellatione fuerit pronunciatum, *L. unica, pr. & §. 1. ff. nihil innov. adpellat. interposita. L. penultima ff. de adpellat. recip. GAILIVS L. O. 144. & seq.* Sin vero nihilominus est innouatum & attentatum per *O. C. P. III. tit. XXXI.* attentata commissa ante omnia & sine longis ambagibus sunt reuocanda. Et hoc non solum *O. C.* disponit, sed *& tot. caput 7. de adpellat. in 6.* nos huius rigoris in fauorem & splendorem Iudicis superioris introduci, admonet. Requiritur tamen, ut adpellatio de iure interposita sit, vel saltem adhuc legitime interponi possit. De nullitate adpellationis enim si constat, nec attentata reuocantur, nec proprie pro attentatis habentur.

bentur. conf. HIER. MANFREDVS *Lib. 2. de attentatis pendente adpellatione conclus. 104.* Elucescit denique ex his omnibus, quod attentata, adpellatione pendente & operante effectum suspensiuum, commissa, ita esse comparata, vt nihil obster, quod illorum reuocationem impedire possit.

## §. XV.

Vidimus attentata debere reuocari, si adpellatio operetur effectum suspensiuum, propter huius remedii regularem effectum. Vidimus etiam, quod tunc ante omnia sint reuocanda. Verum enimvero alibi in Legibus Imperii fundamentalibus legimus dispositum, quod ad illorum reuocationem adhuc alia pertineant requisita, in quae inseruari & vnum iuxta alterum considerare, materiae ratio deposcit. Antequam ergo eorum reuocationem decernat iudex, attendat praeter ceteris, an etiam sufficienter & in continenti sint probata. Ex R. I. de an. 1654. enim §. Und wenn ges. 11. 59., satis luculenter adparet, quod haec requisita praecise adesse debeant, si quis attentatorum reuocationem obtinere intendat. Contra vero, etiamsi post inhibitionem attentata reuocanda sint; attamen, loco Mandati attent. rev. *Assessores Camerae Imperialis Per-*  
 C *illustras*

*Illustres* in processu, de reuocandis attentatis, omnem  
 praecautiōem adhibentes, propter deficientem pro-  
 bationem ita prius pronunciant:

Des D. N. seint in puncto implorationis  
 pro reuocandis attentatis wie auch der  
 arctioren inhibition halben beschehen Bes-  
 gehren/ noch zur Zeit abgeschlagen/ son-  
 dern ihme sein Angeben / das nach Vers-  
 kündigung der Kayserlichen inhibition at-  
 tentiret worden/ wie recht bescheinen / 4  
 Zeit 4. Monathe pro T. & P. von Amte  
 wegen angesetzt.

Quod analogiae iuris utique vel maxime conuenit. E-  
 nim uero ut iudici superiori eiusque officio vel maxi-  
 me conuenit, per impertitionem auxilii celerioris par-  
 ti laese succurrere, auctoritatemque insuper suam tue-  
 ri, contra iura tamen, cuius minister est, nihil attenta-  
 re audet. Hinc si ex causae progressu deprehendat, ea,  
 quae iactantur attentata, ex genere attentatorum non  
 esse, partis implorationem negliget, nec quidpiam, nec  
 per decretum extrajudiciale nec per sententiam, si sci-  
 licet super hoc puncto ambae partes prius auditaе, re-  
 uocabit. Ita sibi esse docet *praecindicium de an. 1613. in  
 causa*

caussa Mochen adpellaten contra Herrn Johann Pfalzgrafen bey Rhein/ Grafen zu Beldens und Consorten adpellaten. In collectione noua sententiarum potiorum Iudicii Cumeralis ab an. 1588. ad annum 1688. Denique videas & bene perpendat iudex, ane allegata attentata altiore requirant indaginem. Legimus enim de hoc superaccedente requisito apud GAILIVM Lib. 1. O. 146. clarissima verba: *Attentata altiore indaginem & quaestionem requirentia non posse reuocari per Mandata attentatorum reuocatoria, sed vtramque causam Principalem & attentatorum simul prosequi debere, per text. in L. si constiterit C. fin. regund. Et quamuis IASON in §. nihil commune num. 130. apud BARTH, in L. naturaliter ff. de acquir. vel amitt. possess. & alii ibidem allegati, aliter sentiunt, O. C. tamen Parte III. tit. 31. §. 14. opinionem nostram adprobat.*

§. XV.

Hic exantlatis, accedamus ad tempora, in quibus attentata, adpellatione pendente, committuntur. *Rec. Vist. de an. 1713. §. 94.* perquam clare id nobis ob oculos ponit & tam inhibitionem legis quam Iudicis dispescit, disponitque quod ad illorum reuocationem requiratur 1) vt sint perpetrata intra decendum a die

die latae sententiae, sed ante interpositam adpellationem, 2.) post decendum, verum tamen ante notificationem adpellationis Iudici inferiori factam. 3.) Post notificatam adpellationem, sed ante Iudicis superioris inhibitionem, ac denique 4.) post adpellationem & insinuatam inhibitionem Iudicis ad quem.

§. XVI.

Cum nobis pateat, quaenam attentata sint reuocanda, & tempus intra quod debeant esse commissa, ordo nos deducit ad Iurium, praeprius Legum Imperii fundamentalium dispositionem circa illorum reuocationem. Vidimus quidem dispositionem Legis Imperii fundamentalis, nimirum O. C. §. 13. citatae, quae vult & iuber, vt autem omnia reuocentur, attamen quomodo, an extraiudicialiter an iudicialiter id fieri debeat, restat adhuc proponere. Et hoc rem magni momenti esse, cuius processu Camerali imbuto, notissimum est, idcirco legum dispositionem ad singulos casus adplicemus.

Hinc quod ad primum casum ( §phi praecedentis, ) per §. 94. *Recessus Visti. nouissimi* est ordinatum, quod attentata, si intra decendum sint commissa, penitus

nitus & quidem extrajudicialiter debeant reuocari, L. B. de LYNCKER in tr. de grau. extrajud. Cap. VIII. §. 35. n. 4. Cumque praeterea de iure communi notissimum sit, quod talia attentata tanquam plane illicita, ac nullo modo iustificabilia per L. 32. §. 3. C. de adpellat. sint prohibita, non immerito a praecepto, alteraque parte inaudita inchoare licet.

Quod ad secundum vero casum, in praeallegato textu *Rec. Visit. nou.* dispositum legimus, quod super attentatis reuocandis adpellans non sit audiendus, si post decendum quidem, sed ante notificatam & insinuatam adpellationem attentata sunt commissa. Ratio latitat in effectu adpellationis deuolutiuo, quem plane operatur adpellatio coram Notario & testibus facta & interposita. Atamen interdum in hoc casu consequitur adpellatio effectum suspensiuum, Iudicis superioris si inhibitiō ad inferiorem est emissa. O. C. P. II. tit. 29. & item *So soll. vers. So aber.* Hinc attentatum non dicitur, si iudex inferior ante insinuatam sibi inhibitiōnem, sententiae exsequutionem mandat & tuto in eo procedit MYNS, Cent. IV. O. 45. MEV, P. III. D. 121. sed potius adpellanti incumbit, in causa principali a-

C ;

gere,

gere, prouti eum decet. Conferatur *Ordin. Cam. citata*  
*J. item* *Ed* foll.

Tertium quod attinet casum, & quando post notificatam seu intimatam adpellationem, ante insinuatam vero inhibitionem perpetrata sunt, attentata quidem ante disceptationem causae principalis, quaerendum suspendenda, ante omnia reuocanda, via vero extrajudicialis Mandatorum supplicanti non patet, sed iudicialiter & parte desuper audita, eorundem cassatio & reuocatio est petenda. Constat hoc ex *C. O. C. Parte III. tit. 37. Spho finali*. Nec ad id stabiliendum nobis desunt praeiudicia, dum ita pronunciatum in causa des Gottes Hauses zu St. Martyres in Trier contra Ehrengen anno 1660. den 21ten May. Supplicansque ad iudicalem processum & modum adpendicis processus adpellationis cum petito suo fuit remissus.

Quod ad quartum & vltimum vero casum, puto, si post insinuatam inhibitionem attentatum, attentata etiam extrajudicialiter tanquam in casu primo reuocantur & Mandata de reuocandis attentatis decernuntur per *Sphum* Und wenn gegen 59. *Rec. Imp. de anno 1654.* Ex hac generali, huius legis dispositione, non immerito



to inferri possit, quod sine distinctione & semper, modo ( quod semper praesumitur ) de attentatorum notorietate constat & in continenti fuerint probata, extraiudicialiter reuocatio decernenda, cum praeterea adhuc alia adposita sint verba, illud eo magis confirmantia: *quod nimirum statim punctus attentatorum executioni mandandus & supplicans nullo modo ad iudicium sit remittendus.* Sed obseruantiae & hodiernae praxeos, cura hoc repugnet, videamus an nobis subueniat alius textus, hodiernae praxeos conformior, & hic textus est praememoratus *Rec. Vist. nou. §. 49.* ita distinguens: Mandata attentatorum reuocatoria aut petuntur, ante vel post exceptiones desertionis & non deuolutionis. Prius si est, decernuntur talia mandata extraiudicialiter, si autem posterius, rursus distinguendum esse suadet textus iste, vtrum exceptiones desertionis & non deuolutionis sint releuantes aut irreleuantes. Priori casu supplicans ad iudicium cum petito suo de reuocandis attentatis, alias extraiudicialiter reuocandis, est remittendus. Attentata enim reuocari non possunt, si iurisdictio in dubium vocatur & nondum cognitum est de iurisditionis veritate. Posteriori vero casu Mandata extraiudicialiter decernuntur BLVM.



tit. 35. num. 21. & 22. TEXTOR ad Recess. Imp. nouiss.  
 Diss. 12. §. 40.

Qui vero scire cupit, quid termini isti iudicialiter & extraiudicialiter in summis Imperii Dicastriis significant, adeat Perillustr. Dn. de LVDOLFF in suis *Observat. Camer. O. I. in notis BLVMIVM, RHODIN. GIVM* & ferme omnes Cameralistas. Hi enim satis abundanter de iis verba fecere.

§. XVII.

In praecedentibus de effectu remedii adpellationis suspensiuo, nec non quae in hoc casu de attentatis reuocandis scitu dignissima erant, nimirum quod tunc omni tempore, quamquam mox iudicialiter mox extraiudicialiter attentata sint reuocanda, & nullo modo Mandatorum attentatorum reuocatoriorum decretionem excludant, satis, & prout materiae necessitas id pro nunc exigebat, loquuti sumus. Iam vero & de effectu remedii deuolutiuo, tanquam cardine huius disputationis nobis adhuc superest quaedam patefacere. Quemadmodum autem in antea dictis in lucem redegitur, quod adpellatio, si effectum solummodo pariat effectum deuolutiuum, causam principalem & illius ulte-

vltiorem cognitionem ad superiorem Iudicem quidem  
 deuoluat, sententiae exsequutionem vero, respectu Iudicis  
 a quo, non suspendat. Ex eo igitur inferri potest, quod Iu-  
 dicis progressus in demandanda exsequutione sententiae,  
 non mereatur taxationē nec reuocationē, cum in quibus-  
 dā casibus extra ordinem adpellationi subtractus sit effe-  
 ctus suspensiuus, vt Iudex a quo valide ad Instantiam par-  
 tis, scil. victoris, ad exsequutionem progredi queat, e. g.  
 in causis moram non ferentibus, de quibus LAN-  
 CELL. *de attentatis P. II. C. 12. Limit. 43*, euolui po-  
 test, qui quidem in talibus casibus adpellationem ad-  
 mittendam esse sustinet, interea autem Iudici a quo tri-  
 buit facultatem sententiam, adpellatione non obstante,  
 exsequi, & hoc ab ipso pro attentato non reputatur.  
 Quid quaeso per hoc aliter est dictum, quam dari ad-  
 pellationem absque effectu adpellationis suspensiuo,  
 & dari *attentatum*, non reuocabile, seu vt loquamur  
 lingua nobis tantum propria *Mandatum attentatorum re-  
 uocatorium excludens*. Quod demum definimus, quod  
*sit factum illicitum alias in praedictum adpellationis ten-  
 dens, ob deficientem effectum suspensiuum adpellationis au-  
 tem non reuocabile.*

## §. XVIII.

Coronidis loco ergo hic ponimus vniuersalem regulam: *In quibus casibus adpellatio non admittit effectum suspensiuum, sed tantum deuolutiuum operatur, in illis Iudex inferior, non obstante adpellatione, in causa absque metu attentatorum ulterius procedere potest.* LANCELLOTVS de attentatis P. II. Cap. 12. Limit. 25. n. 1. Hinc nostrum quidem esset, hic recensere, quinam in specie isti sint casus, adpellationis effectum suspensiuum non admittentes, & rem absoluere totaliter. Sed sufficiat dixisse, Res fauorabiles omnes, quo prae ceteris moram non habentes, referimus, respuere effectum suspensiuum. Cumque BOEHMERVS in sua Dissert. de executione sententiae pendente adpellatione valide facienda. Cap. 2. maxime momentosos iam collegerit casus, ad quam collectionem B. L. pro hac vice remittimus, plura etiam adhuc praeter recensionem casuum re. & non reuocandorum attentatorum hic superaddi debuissent, aliaque insuper ratio pro tempore filum abrumpere iubet, plena huius materiae exaratio in tempus ad scribendum mihi commodius, differtur. Idcirco B. L. oro rogoque, vt hancce dissertationem boni consulat, meliora expectet, cum mihi non solum emendationem, sed

fed & mutationem, quamvis post litem iam contesta-  
tam, referuo.

Tu vero fons omnium honorum, *Deus T. O. M.*  
cuius auspiciis & haec suscepi, hisce & omnibus meis  
conatibus propitius adfis, & fac, ut cuncta coepta, &  
adhuc suscipienda cedant in S. Sancti nōminis TVI  
Laudem, honorem &  
Gloriam.

### Corollaria.

#### I.

*Si causa notorie est inadpellabilis, Iudex inferior, non  
obstante adpellatione, ulterius procedere potest.*

#### II.

*Iudex inferior non attentat, si contra adpellationem in-  
terpositam aliquid facit, quando nimirum adpellationi vel ta-  
cite vel expresse fuit renunciatum.*

#### III.

*Iudici inferiori per adpellationem interpositam manus non  
ligantur, si ab interlocutoria est prouocatum, nec inhibittio  
decreta.*

#### D 2

#### IV.

IV.

*Non obstante adpellatione Index inferior valide illum punctum sententiae exsequutioni mandare potest, a quo non fuit adpellatum, hac tamen limitatione, nisi punctus adpellationis cum altero ita sit connexus, ut separari non possit.*

V.

*In auocatione, attentata fortius reuocantur quam in ipsa adpellatione.*

FINIS.









ULB Halle

3

004 060 741







DISSERTATIO IURIDICA  
DE

1747, 27  
16

ATTENTATIS  
MANDATVM ATTEN-  
TATORVM REVOCATO-  
RIVM EXCLVDENTIBVS  
ET NON EXCLVDENTIBVS.

QVAM  
AVCTORITATE ET DECRETO  
ILLVSTR. ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA LVDOVICIANA

AD D. AVG. cl<sup>o</sup> Idcc xxxvii.

H. L. Q. C.

PRO SYMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

IO. DAVID GROS,  
WFTZLAR.

GISSAE, Typis EB. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.